ORATIO DE CONTEMNENDIS SYCOPHANTARUM ARROSIONIBUS; QUAM ... SUB...

Johann Weitz, Jeremias Setzer

MAGNIFICO
ET AMPLISSIMO VIRO, Dn. FRIDERICO FELDERO,
Provinciæ Gothanæ Præsidi dignissimo,
Domino & Promotori suo.
S. P. D.

IActa est alea, FELDERE Amplissime; adolescentium studiorum viridem expromo fætum, Fabium sequens. Sed nolens volens. Nolens: Obeliscos enim & cerulas miniatulas extimesco Bambalionum, quibus insitum μωμεῖσθαι. Volens: quia confirmatus proletariis pungentium sermunculis nihilò magis offēdar, quàm liberis dictiis, vt Socrates monebat, in magno convivio; vel, ut Pisistratus aiebat, non aliter illis succensebo, quàm si quis obligatis in me oculis occurrisset. Tàm enim meo in animo linquent aculeum, quàm olim in flumine vestigium cymba. Confirmatus, dixi. Quem suis enim non animarent

marent illa Academiæ noſtrę lumina, firmamenta literarum, domicilia virtutis & eruditionis adhortationibus? BRENDELIVM puto & SETSERVM; quos profectò omnes Muſæ

καὶ ὁ δάλιος ἠγάπευν ἀπόλλων.

Hoc nobile fautorum par ſtimulavit, vt, Invidia liventium contemtâ, publici juris facerem in frequenti hanc à me habitam hîc Orationẽ. Ego etſi cum Metrocle τάδ' ὀνείρων εἶναι νερτέρων φαντάσματα, nec laureolam in muſtaceô quærendam, non neſcio: Tamen quia ſic duo illi volunt Ariſtarchi, fiat quod volunt. Abſit enim, vt vel tantillum refrager eorum placitis: Converrant licet, convaſent, confundant & faſceatim conſtruant, quicquid poſsint Zoili, quicquid velint; Ipſorum decumana convitia magis, quàm Sol Heracliti extinguẽtur, magis quàm fabæ extremę proterentur, conculcabuntur peribunt. Verùm, cùm non ignorem, Vir Ampliſsime, in TE tuamque famam ritu Parthorum â Scurris neſcio quibus jaci averſa ſermonum tela, quæ tamen ſcutò Conſcientiæ & Integritatis tectus, cum Agamemnone, cui Therſites deformis & informis obſtrepebat, minoris facis, quàm te-

ſtudo muſcas; aut non magis æſtimas, ac nebulas in pariete, & , vt ille ex Albaniâ canis, vindicas te ab iſtis ſolo contemtu: Non inconcinnè neque inconſideratè putaui me facere, ſi quodam quaſi iure meam hanc Orationem Tibi offerrem, qui & ſuſciperes libenter; & ; ni facerem, ſponte à me flagitare poteras. Ei, quemadmodum Reipublicæ, quaſi millus cani, vt Scipionis Æmiliani illô vtar, præſidio eris, me tuæ gratiæ favoriſque præluſtri face porrò colluſtrabis, & ἀπεξαυτολογίαν obtrectatorum animo alacri & erecto ſuſtinebis, Chryſippi illud cogitans, quòd, malè qui regunt, Diis diſpliceant; qui benè, civibus. Diogenes olim Cynicus, cùm irriſui eſſet turbis, & ingereret quiſpiam, Non vides, vt hi te rident? Ego verò non rideor, inquit: magnanimâ & pulchrâ voce. Quam imitare, Vir Ampliſsime, & minutos illos clandeſtinosque Calumniatores non ſentiri à te proba, non cerni. Vicit olim ignem Mutius, crucem Regulus, Venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato; Te Vir Ampliſsime, vellicationes iſtæ non dejiciant, aut curvæ iſtæ mentes incurvent. Magni enim animi proprium eſt, ait Seneca, pla-

placidum esse tranquillumque, & injurias atque offensiones semper despicere. Quâ in sententia desino. Tu, FELDERE Amplissime, meam hanc Orationem libens accipe, quæ licet exigua sit, tamen, vt scitè olim Græculus ad Augustum, εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν.

Vale & vive Reipublicæ, vive Tibi,
vive mihi longùm & feliciter.

Unica fortunis ara reperte meis.

T. Amplitud. addictiss.

Iohannes VVeitzius.

Decanus Collegij Philoſophici in inclytâ & celeberrimâ Academiâ Ienenſi

HIEREMIAS SETSERVS Sileſ. Philoſoph. & V. I. D. S. P. D.

MAgna eſt hominum quorundam impudentia, qui etſi bonorum virorum præclarè facta norunt, & vel inviti conſcientiæ nimirum ſuæ teſtimonio convicti, ea agnoſcere & commendare coguntur; Tamen ſæpè impudenter & absq. ullâ venuſtate omnibus illudunt, & minus facilè ſibi perſuadent, ſe eo nomine facetos & delectabiles eſſe & ſuſpici, cum tamen & ignorantes ſint, & ab omni urbanitate alieni. Etſi autem indignum & minimè ferendum videtur viro gravi & honorato, ſentire, ſe ab inſolentibus iſtiusmodi irrideri, ſæpeq́ non iniuſta inde iracundia concipitur, quæ ægrè tandem concoquitur: Tamen ſatius eſt, aliqua hîc patientia uti, & Philoſopho ſe illi conformem reddere; cui cum dictum eſſet, quod alij ipſum deriderent; Illi quidem, reſpondit, me derident, nec tamen propterea deriſus ſum: Quemadmodum autem præclarum eſt, nullum aſſenſum præbere ijs, quæ de alijs male dicuntur: Ita magni animi eſt, nihili ea facere, quæ de nobis in peiorem partem ab alijs proferuntur. Hoc enim nobis debet eſſe propoſitum, ut non minus, quàm illi linguæ ſuæ, nos aurium noſtrarum ſimus domini, imitantes Magnum illum Alexandrum, qui cum aliò quôpiam Rege bellum gerens, cum quendam ex militibus ſuis illi maledixiſſe audiret, acriter

cum

eum obiurgavit; Ideò enim, inquit, stipendium tibi adnumero, vt cum hoste meo decertes, non vt illi maledicas. Idē cum intellexisset, quosdam de se malè loqui, ne minimum quidem vindictæ signum ostendit, sed sapienter & regali quadam moderatione respondit; Regium esse facere benè, audire malè. Sed de hoc argumento, quod nimirùm rectè agenti non sint metuenda convitia improborum, Orationem rebus grauem, & dicendi genere elegantem, recitaturus est hodie horâ III. pomeridianâ in auditorio maiori iuvenis doctissimus & Ornatissimus Dn. IOHANNES VVEITZIUS; *quàm vt omnes Academiæ nostræ cives, & inprimis optimarum artium studiosi frequentes audiant, etiam atque etiam rogamus.*

B. V. P. P. IENAE 17. Iunij an. 99.

Rectè

Rectè agenti non sunt metuenda convitia improborum.

ORATIO.

CVM Fabius ille Maximus, Magnifice Domine Rector, Spectabili claritate spectatissime Domine DECANE, Vosque Patres pietate venerandi, prudentiâ conspicui, sapientia & doctrina præstantes, omni studiorum genere juvenes florentissimi; Cum Fabius (inquam) ille maximus, vnus qui Romanis cunctando restituit rem, belli Punici secundi tempore Imperator, manus conserere cum Annibale detrectaret, & nihilominus eius copijs, veluti Tantalo lapis jamjam lapsurus, immineret & incubaret, consilioque satis accurato tamdiu sese illi opponeret, donec exercitus hostilis paullatim commeatus inopiâ attereretur, pecuniæque penuriâ pressus attenuaretur; Bellator fortissimus & Imp prudentissimus per ludibrium pædagogus Annibalis & Cunctator fuit appellatus. Sed nihil ille commotus dicterij cavillo probriq; morsu, plus se consulere Reipub. saluti atq; incolumitati sentiens, ita ferocientis & exultantis hostis temeritatem consilio si reprimeret, furorem fortitudine si eluderet, audaciam virtute si superaret, quàm si cæcâ & desultoriâ levitate temere prosiliret ad arma, & se sociorumq; salutem in manifestum & voluntarium projiceret discrimen; animô intrepidô in hanc insignem laudabilemq; prorupit vocem; Dicteria convitiaque, inquiens, qui metuit timidiorem multò esse censeo, quàm qui ad hostium conspectum formidant & refugiunt. Egregium mehercle pronunciatum! Optimè enim intellexit vir fortissimus, citius solem

suô

ſuô de propoſito deterreantur aut detarbentur. Hoc infra-ctum & invictum animi robur non voluptatum illecebræ eripere, non dolorum faces exurere, non divitiarum ſplendor expugnare, non ignominiæ metus imminuere, non mortis terror convellere ac labefactare poteſt. Vt Nepenthes herba, poculis addita, omnem convivii triſtitiam diſcutit & abigit; Ita conſcius recti animus omnes invidorum inſultûs, omnes Pſyllorum incursûs deſpicit, nec magis reſpicit, ac menſa inanis ſi apponatur ſibi; omnes frigidè obtrectantium ſermunculos ſuſque deque habet, & more magnæ feræ latratus minutorum canum ſecurus obaudit. Novit nimirùm, puſilli hominis eſſe & miſeri, repetere mordentem. Novit hoc omnis Philoſophorum turba, quæ ad ſpurcos & turpes abiectorum hominum garritus & gannitus ſtetit,

Vt pelagi rupes, magnô veniente fragore
Quæ ſeſe multis circum latrantibus undis,
Mole tenet ſcopuli nequicquam & ſpumea circum
Saxa fremunt, laterique illiſa refunditur alga.

Tenere modò ταῦν ἑδρᾶν ſi queunt, virtutis detenti ſtudiô ſtrigoſas, illotas & impexas cavillatorum voces animo altiſſimo aſpernantur, tantumq; abeſt, ut earum conſpurcentur ſordibus, ut etiã illas tanto infra ſe jacere ſentiãt, quãtò imæ maximeq; depreſſæ convalles infra editiſsimorum, cœloq;, ut Poetæ loquuntur, minantium montium cacumina. Ceterum ſi paulò altiùs huius rei rationes & numero plurimas & pondere graviſsimas repetens, improborum inquinatas & contumeliã refertas dictiones viriliter & audacter eſſe contemnendas & perferendas, dixero: dabitis mihi veniam, Auditores, pro veſtroque candore, veluti currentem equum applauſu, meam hanc ſilentio approbatis & provehetis orationem. Si verborum concinnitate & venuſtate, ſi rerum copiã & dignitate minus veſtræ ſatisfacere poſſum expectationi; brevitate tamen ut nauſea tædiumque veſtrum allevetur, ſedulò providebo.

Ne autem infinitè feratur, vt flumen in varios didu-ctum rivulos, oratio; copias eius ordine & velut sub signis inducam, quarum duplex mihi agmen. In primâ acie Necessitas pugnabit; In alterâ stabit Vtilitas. Quæ copiæ si locis suis apte pugnaverint, omnis omnium Aculeonum jacebit exercitus, nec os obvertere audebit.

Vt igitur Necessitatem educam; quis est omnium in totâ mortalium societate tàm fatuus & excors qui convitijs impetitus aut cavillis sugillatus τοῖς κυνιδίοις, ἃ τοὺς λίθους δάκνει, τῶν βαλόντων οὐχ ἁπτόμενα, similis esse potius velit, quàm columbarum placiditatem imitari gaudeat? Ferenda enim, dissimulanda, mussitanda multa sunt in omni vitâ, nisi nubem serenitati inducere, maria omnia cœlo miscere, supera infera reddere, & cum Strepsiade Aristophanæo ἀνταποπερδεῖν πρὸς τὰς βροντὰς quod Aremulum Sylvium fecisse, & ob id fulmine ictum, raptumque turbine in Albânum lacum præcipitatum esse, historiæ memorant, velimus. Scitum est Plautinum illud: Stimulos pugnis si cædas, manibus plus dolet. Scitum est & alterum;

Bacchæ bacchanti si velis adversarier,
Ex insanâ facies insaniorem; feriet sæpius.

Maledicorum autem improbas ut voculas æquô toleremus animô, nec excandescamus irâ,

Hoc opus, hic labor est; pauci, quos æquus amavit
Iuppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
DIs geniti potuére,

Sed licet magna peritia sit aliorum ferre imperitiam, ut Pythagoras dicebat, & multum ἀδικεῖσθαι qui possint sufferre, vix sint totidem, quot

Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili;

Deberi tamen omnes frivolas frigidas & futiles objectatorum nugas & verborũ nebulas, quas offundunt, contemtim

habe-

haberi,& alto despici supercilio, Ratio ipsa nobis dictitat & instillat? Atque ne vaga & libera nimis oratio mea sit, sed adductis habenis maneam in hoc gyrô; qui sunt tandem, qui nobis tantopere insultant? Homines scilicet invidiæ venenô suffusi, livoris puncti stimulis, malevolentiæ spumâ circumfusi. Hi sunt, quibus odio virtus est, integritas dolori, innocentia labi & tabi. Hi sunt, quibus ὄψον λόγοι, qui τὸ λαμπρὸν βιᾶται, τῶν δ' ἀφάντων κῦδος ἀντείνει σαθρόν, ut magnificè loquitur Pindarus. Quinetiam aut nuda saltem verba aut mendaciorum involucris implicata effundere id genus hominum, tàm est in propatulô, ut qui probationes expetat, Solem lucere neget.

Bonorum autem semper ea est conditio, vt cunctos Ophiogenum ictûs duplici quasi scutô planè Vulcaniô elidant & eludant; Conscientiæ immaculatæ & Virtutis illibatæ, Est n. verè murus ipsis aheneus,

Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Quantum per humanam fieri potest imbecillitatem, sanctâ & integram degent vitam, adeò, ut semper istius Virgiliani memores esse videantur:

Ne quid hiet, ne quid protuberet angulus, æquis
Partibus vt coeat, ne quid deliret amussu.

Honestam famam alterum patrimonium, non ignorant; famæ ac fidei damna majora esse, quàm ut æstimari possint, non nesciunt: Ideoque existimationem suam præclaram, sartam, tectamque vt tueantur, nihil linquunt inausum; unicè caventes, ne rumor oboriatur, & sinistra hominum animos occupet suspicio.

Φήμη γάρ τε κακὴ πέλεται, κούφη μὲν ἀεῖραι
ῥεῖα μάλ', ἀργαλέη δὲ φέρειν, χαλεπὴ δ' ἀποθέσθαι.

Hesiod. 2. *ἰσγ. ἢ ἡμ.* *Fama malum est, oritur fur-gitq; facil-lima verù. Difficile hanc perferre, grave est sedare certã.*

Incendiô opes absumantur, furto eripiantur, naufragio absorbeantur, dummodò existimatio est integra, facile, ut ait Cicero, egestatem honestas consolatur. Conscientiæ puritate freti, de se quid quisque sentiat aut loquatur, manum non vertunt, de carptoribus minus laborant, quàm de ranis palustribus, optimè scientes, istum thesaurum improbis in linguà esse situm, bonis vt maledicant. Eccur enim magnoperè ringantur aut animo angantur? Si paulisper intelligentiam suam excusserint, secumque reputaverint, virtutem extra omnem telorum jactum esse collocatam, & ei si quid obstat nubium modô intervenire, quæ infra feruntur, nec unquam diem vincunt; Tam væcordes, puto, non erunt, vt continuò velint ἀντιμυκτηρίζειν, & malum malo compensare, clavumque clavô pellere. Ita enim sese res habet; Quemadmodum minora lumina claritas solis obscurat; sic calumnias, molestias, injurias, virtus magnitudine sua elidit atque opprimit, & quocunque affulsit, ibi, quicquid sine illâ apparet, extinguitur, nec magis vllam portionem habent injuriæ, cum in virtutem inciderint, quàm in mari nimbus. Proprium quippe magnitudinis est veræ, non se sentire percussum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit; sic irritus ingenti scopulo fluctus, assultat; sic sagittæ, si immittantur in signum aliquod durum, fractæ dissipantur: Improbi quidem si conviţijs impetantur aut vituperijs incessantur, animum subitò despondet; eos quippe diri conscia facti

Mens habet attonitos & surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animô tortore flagellum.
Hi sunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat, exanimes primò quoque murmure cœli.

Quemadmodum aves etiam inanis fundæ sonus territat; Ita hi non ad ictum tantum exagitantur, sed ad crepitum. Sed viro iustô & integro, qui noceat, qui conscientiam ei arctet & lancinet, qui virtutem adimat & auferat, nondum est inventus. Palmam ajunt contra impositum sibi onus insur-

insurgere; Facit idem virtus; premas, quantum possis, est tamen ἀβά-

πτιστος, φέλλος ὥς,

ὑπὲρ ἕρκος ἅλμας, ut Pindarus de suo illud mihi largiatur. Adyanton herbam si perfundas aqua aut immergas, t..men siccæ similis est: Ira in viro bono non hæret contume'ia, etiam si quis infamare conetur..

Necessitatis hæc est, Auditores, infracta & verè fulminatrix legio: Instruam nunc agmen alterum, quod utilitas ducit. Agmen, si inspicimus, validum & callidum; quod nescio quo modo illabitur & tacitè insinuat se in animos, & placido subactos imperio blandâ quâdam vi vincit non invitos. Irrepit enim potiùs, quàm irrumpit; suadet, non cogit; & tàm facile duci nos ab Vtilitate patimur, quàm à Necessitate cogi. Vtilia enim sunt, quæ in nos congeruntur convi ia, & cum interno nostro fructu commodisque conjuncta. Mala autem? Imo Bona verius, si, remotâ hac opinionum veste aut personâ, oculos ad eorum finem referimus. Frænant enim nos fidenter & audacter de nostris arbitrantes bonis Convitia; arrogantiam nostris animis excutiunt, superbiam contundunt, jactantiam compescunt, ferocitatem suffocant, ambitionem excîdunt; contumaciam ejiciunt, morositatem comprimunt, humilitatem inserunt; modestiam instillant; & si nihil aliud boni nobis allatura essent, animi certè nostri sordes quasi intrò quôdam aut lomentô eluunt, depurgant, expiant. Vitia enim in manticam, quæ à tergo nobis est, abstrusa & recondita, in clarum solis iubar plenè planeque producit criminantium iste insultus, quæ temporis successu, veluti strumam reliquô à corpore exsectam procul abjicimus.

εἰς ὄρος, ἢ εἰς κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης. Hom. *In montem tumidásve frementis in æquoris undas.*

Sicut enim Telephus domesticô destitutus remediô, vulnus hostili præbuit hastæ sanandum; Et vt Iasonem Thessalum qui volebat interficere, gladiô vomicam eius aperuit,

eaque rupta salutem homini attulit: Sic sæpè convitium ab inimico nobis inflictum, animi morbum latentem neglectûmve sanavit.

Quod si fas mihi vela pandere & navim immittere altiùs in hoc fretum: Finium duplicem Arcton signabo, ad quam identidem flectendi mihi oculi: Exercendi & Castigandi. Pleraque enim ista sugillantium ferula, ut sic dicam, aut Bonos exercet, aut Lapsos castigat; eaque omnia nostrô bonô. Nam, ut illustrem, & pedem paullisper in primô fine defigam; videmus quotidiè optimos quosque lancinari maledictis, oppleri sugillationibus, obturbari nugis, involvì mendacijs. Videmus & miramur: quia nec caussam satis capimus, nec attendimus ad finem. Caussa autem in nos amor DEI, non odium; cui suos adflictionibus his, ut aurum igne, probare, summa justicia. Finis, non læsio nostra, sed fructus. Iuvat enim exercitium illud non unô modô, sed Firmat, Probat, Præit. Firmat; Quia hoc velut gymnasium est, in quô ad robur instituimur, & virtutem. Socrates à Xantippe suâ maledicâ & morosâ domi convitijs exercitus assiduis & continuis, illius injurias, dicebat, si devoraret & mussitaret, occultô quodam patientiæ succô se sic imbui, quem cavillationes aliorum non facilè possent eluere. Hinc comædiarum publicatos in se spectatosque sales in partem bonam accepit, risitque non minus, quàm cum ab uxore Xantippe immundâ aquâ perfunderetur. Cumque ab Aristophane mirum in modum quandoque exagitaretur in theatro, & peregrini plurimi, quinam ille ridiculus Socrates esset, quærerent, surrexit, & donec peracta esset fabula, erectus stetit, ut omnes, quis esset, cognoscere possent. Laudabilis profectò Socrates! Si athletam te esse velis; sugilleris, supplanteris, sanguinem fundas, dentes sub pugno crepent, oportet.

Si nautum; in te
Vnà Eurusque Notusque ruent creberque procellis
Africus, & vastos volvent ad littora fluctus.

Si

Si militem; per pericula dictu gravia, perpessu aspera doceare: Si verè virum cur recusas morsiunculas? Qui vitilitigatorum fractus & exanimatus insulsis rumusculis continuò parmulam abjicit & fugit,

Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens;

Eius profectò menti compedes injiciuntur arctissimæ, ut strenuè gnaviterque agendo fungi suo munere minime possit. Verè enim divinus ille Plato ex Eupolide; ἀθυμοῦντες ἄνδρες οὔποτε τρόπαιον ἔστησαντο, Lycambes ab Archilocho, cui denegaret filiæ nuptias, Virulentissimis laceratus jambis, suspendio cum filiabus se suffocavit. Tàm fracti & abiecti, degeneris & stulti animi multos passim cernere licet obvios, qui cum aliorum ὕβριν καταπέψαι, suamque effervescentiam λόγῳ domare nequeant, βρόχῳ funestissimam sibi attrahunt πανωλεθρίαν, nòn cogitantes interim Senecæ illud, æquô animo audienda imperitorum convitia, & ad honesta vadenti contemnendum istum contemtum; nec secum obvolventes, apud humiles duntaxat animos habitare, & in altos dirigi lividam illam Deam, vel, ut Pindari verbis vtar

ἄπιστος δ' ἐσθλῶν ἀεί,
χερείονεσσι δ' οὐκ ἐρίζειν.

Prodeat hîc, si dubium cuipiam oboritur, Syracusanorum tyrannus Dionysius; qui, quod carmina sua aliorum non satisfacerent salivæ & judicio, nec talo, quod aiunt, starent rectô, maximam animi ægritudinem sibi contraxit. Prodeat Herodes Atticus, insignis ille orator; qui, cûm adolescens in Pœoniâ coram M. Antonio Imp. perorans, præ timore obmutuisset, & ob id à quibusdam perstringeretur,

ignominiâ

ignominiæ tædiô affectus ad Istrum secesſit quasi jam jam moriturus, cum vitam ipsam eloquentiæ posthaberet. Omnes perambula vitæ humanæ status, & exemplorum tibi copia occurret. Fidus Cornelius, Nasonis gener, cum illum Corbula Struthiocamelum depilatum dixisset, in senatu flens visus est. Testis est Aelianus, Timesiam Clazomenium, virum omni virtutis genere ornatisſimũ, justè beneq; Clazomeniis præfuisse. Qui cum quodam tempore scholam transiret, & verò pueri à præceptore dimisſi ludis operam darent, ita, vt duobus de lineâ incideret contentio, alterq; iuraret; sic ego Timesij cerebrum discusserim; ille putans se in communi omnium hominum invidiâ esse positum, & vehementer à suis civibus odio haberi, siquidem & pueri eum odissent, nedum senes, sponté atque vltrò è patriâ concesſit. Vsque adeo Sophocleum illud verum est: πάντα τοι τῷ φοβουμένῳ ψοφεῖ. Econtra verò da hominem, cuius pectus infusa prius Philosophię præcepta irrigaverint, in cuius animô virtutum semina radices egerint, annon calumniarum favillas ab alijs affricatas instillata philosophia restinguet? Eâ enim magistrâ aç præceptrice cognovit verum decus veramque gloriam solâ in virtute positam esse; eam qui consecutus sit, quid alij de se iudicent, non admodum laborare oportere; præcipue despiciendos morsûs Sycophantarum, quibus ἀγριοτέροισι σύεσι ἐοικότες bonorum famam invadunt & subruunt. Præclarè & sapienter Diogenes, qui interroganti cuidam, Quô pacto vlciscar inimicum? respondit, si ipse probus honestusque fias. Firmant igitur Convitia. Et vt non est arbor solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat, ipsâ enim vexatione constringitur & radices certius figit: Fragiles sunt, quæ in aprica valle creverunt: Sic boni in virtute non comprehendunt, nisi impulsi aliquoties cavillationum flabris. Sed probãt etiã. Quia aliter quomodo constare cuiquã potest de patientiâ suâ, aut progressu profectuque virtutis? Vela gubernatori ventus secundus semper à puppi impleat, artem nusquàm explicabit: Carptorum absit & adversariorum desit

pro-

probitatis pietatisque studioso animadversio, & exagitatio; Virtutem nusquam & nunquam exseret; languebit animus, torpebit vigor, deflorescet alacritas, bona indoles marcescet. Placidè Augustus, qui cum audiret Aelianum quendam male de se opinari solere; Faciam, inquit, sciat Aelianus & me linguam habere. Placidè item Philippus. Ad illum Demochares, Parrhesiastes ob nimiam & procacem linguam appellatus, inter alios Atheniensium legatos venerat. Auditâ benignè legatione Philippus: Dicite, inquit, mihi, facere quid possum, quod sit Atheniensibus gratum? Excepit Demochares: Te, inquit, suspendere. Indignatio circumstantium ad tam inhumanum responsum exorta est; quos Philippus conticescere jussit, & Thersitem illum salvum incolumemque dimittere. At vos cæteri legati, inquit, nunciate Atheniensibus multò superbiores esse, qui ista dicunt, quàm qui importune dicta audiunt. Placidè Leontychidas Aristonis F. narranti, Malè tibi dicunt Demarati filij; Non mehercle miror, respondit; Benè enim eorum nemo loqui novit. Placidè Pyrrhus. Hic à quibusdam rogatus, ut maledicum quendam ex Ambraciâ pelleret, respondit; Potiùs apud paucos illic manens, quàm apud multos de nobis obloquatur. Placidè Agathocles. Eum cùm in urbis cujusdam oppugnatione nonnulli de muris convitiis proscinderent, Figule, dicentes, (erat enim filius figuli,) vnde militibus persolves stipendia? Placidus ipse & subridens, Hanc, inquit, si cepero. Expugnatâque urbe, cum venderet captivos; Posthàc, inquit, si mihi maledicetis, cum dominis vestris expostulabo. O regias & egregias animas! Vt scilicet grando tectis magno strepitu illita, ipsa tamen dissilit: sic convitia in firmum animum si accidant, franguntur non frangunt. Liceret aliis, quod magnis his licuit heroibus, continuò, Arma viri, ferte arma, altâ clamaret voce; Alius urendum & secandum ingeminaret. Herois autem hi, contumeliarum patientiam ingens esse ad regni tutelam instrumentum, non

nescientes, libertatem suam maluerunt mitigare, quàm omnia resecare ad vivum. Verissimum siquidem tritum illud est, Indus Elephantus haud culicem curat, ut nec generosus equus canum latratûs. Verissimum & Taciti illud: Convitia, si irascare, agnita videntur; spreta exolescunt.

Postremo præeunt convitia. Quia bonorum in his robur & patientia velut lumen quoddam tenebroso huic mundo. Hanc orbitam Philosophorum omnis fermè turba calcavit & inculcavit. Lucidissimam hîc facem Moises præfert, qui pro Mariâ sorore DEVM oravit, & à lepra curatam reddidit, quam petulanter in se noverat oblocutam, & ob hoc quidem lepra contaminatam & infectam. Lampadem prælucet hîc patientissimus ille Iobus, qui sannis insanis ab uxore elusus, obmurmuratrici suæ nihil respondens, in DEO mente & cogitatione defigebatur. Viam hanc prævivit Gentium Doctor D. PAVLVS, in cujus patientiâ deprædicandâ mirum in modum se mea jactare posset oratio. Sed mihi non tàm, ut copiam & varietatem consecter, laborandum est, quàm ut effugiam vestram, Auditores, satietatem. Vocas nos denique exemplo tuo ad eadem, & velut limitem signas, per quem eamus, ô CHRISTE IESV! Tu, cum mortali corpore indutus inter mortales obambulares, & ab inimicis tuis crudelissimô convitiorum genere lancinareris, non recriminatus es, sed placido tacitoq; animo omnes absorpsisti injurias; quin & pro salute pessimè tibi volentium preces apud æternum tuum patrem interposuisti. Cœlum citiùs & terra conflagraverint inque chaos unum concident ad unum omnia, quàm ulla unquam tuam hanc illustrem patientiam obscuratura sit vetustas aut oblivio.

Hoc observate, qui cæditis, inque vicem præbetis crura sagittis, & instar athletarum pulverem convitiorum vobis ipsis non detergitis, sed eôdem alios per-

spergitis

spergitis atque oppletis. Quô perversissimô ritu quid nostrô hôc ævô, quô mores mali, quasi herba irrigua succreverunt uberrimè protritius, pervulgatius, pervagatius? Altas enim radices in omnium egit animis Plautinum illud:

Si benedicetis, vestrâ ripâ vos sequar;
Si maledicetis, vestrô gradiar limite.

Leoni Byzantio cum maledicus quispiam opprobrasset oculorum vitium, ipse gibbô deformatus; Humanum, inquit ille, convitium in me jecisti, cum ipse Nemesin in dorsô portes. Sic Diogenes Aristippum solebat catellum regium dicere, quòd Dionysio assentaretur. Et cum aliquando hic ei per opprobrium dixisset; Si tu posses vti regibus, non cogereris vesci crudis oleribus; respondisse scribitur Diogenes: Si tu posses vivere contentus oleribus, non esses canis regius. Domitius Crassum hoc incessit maledictô; Nónne tu ob mortem murenæ, quæ in vivario tuo alebatur, plorasti? Respondit & reposuit Crassus, Nónne tu absq; ullâ lacrymâ tres tuas uxores extulisti? Audit scilicet benè, beneficijs qui certat: & in alterum qui dicere paratus est, omni labeculâ careat necessum est.

Quis enim tulerit Gracchos de seditione quærentes?
Quis cœlum terris non misceat & mare cœlo,
Si fur displiceat Verri, Verri si homicida Miloni?
Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum?

Thales ergo Milesius interrogatus, quô pactô quis optimè justissimeque viveret? Si, inquit, quæ in aliis reprehendit, ea ne faciat ipse. Vnde divinus ille Plato quoties interfuisset hominibus contra decorum agentibus, digressus seipsum solebat ita alloqui; Numnam ipse quoque fortassis tali vitiô laboro? Nihil enim turpius aut molestius, quam si suô premitur exemplô nocens. Sicut lumen refractum magis lædit imbecillos oculos:

Ita & maledicta graviùs mordicant, si in maledicentem reverberentur & repercutiantur. Quapropter qui linguâ impetere aliorum famam, papulasque contrectare & persanare tibi præsumis; ne ipse scateas vlceribus, prospice; seu, ut Ciceronis utar verbis, qui aliorum custodem te profiteris, sapientes tui primùm capitis ajunt custodem esse oportere..

Nasutus enim sis usque licet, sis denique nasus: dederit etiam tibi cum vate Tiresia περσιφόνεια οἴῳ πεπνῦσθαι, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν: Te tamen tuô non carentem nævô haud absimilem esse statuis, etiam qui ad Solem meridianum noctuarum cæcutientium more caligat, deprehenderit. Aurô illæ foris obductæ sunt, intus araneis & inaniis plenæ: Sic, dum vitas & mores aliorum anxiè ad calculum vocas, verè videt te omnis domus & vicinia tota.

Introrsum turpem, speciosum pelle decorâ.

Aut si integræ te adhuc autumas esse existimationis etiam atq; etiam vide, ne cum Paride Homerico fias,

πατρί τε σῷ μέγα πῆμα, πόληΐ τε παντί τε δήμῳ
Δυσμενέσιν μὲν χάρμα, κατηφείην δέ σοι αὐτῷ.

Vt enim qui ex alto aliquo puteo aquam haurit, ubi magno molimine situlam prope os putei evexit, si paulum modò funem laxaverit, et situla & deorsum concitatissimo lapsu provolvitur: Sic omnes, nisi quidem Db v s manum supponat, citiùs à malo, tanquam æstu quodam, abripimur & absorbemur, quàm ad bonum surgimus, vergimus, pergimus, inclinamus. Res enim compendiaria, ut Cleomenes dixit, improbitas..

Benè habet, Auditores; superavi priorem orationis meæ clivum, concitato nunc cursu ad alterum contendam. Id dum facio, in pauca hæc, quæ superant, volentes attentosque vos mihi date.

Castigandi ergò alter finis est, qui mitis ad salutem medicina. Ut ignis aut aquę lustratio quædam adhibetur ad sordes: sic ista convitiorum ad errata. Regius Propheta David in hac nassâ. Hic, Hierosolymis cum fugeret, filij Absolonis factionem timens, & Bahurim usque venisset, Semei Geræ filius de cognatione Saulis per montis crepidinem ausus est maledictis & lapidibus Davidem incessere, virum sanguinum, virum Belial appellans, aliaque multa in ipsum congerens tàm petulanter, quàm temerè. Qui cum rege erant, ad ulciscendam injuriam concitabantur, sed ab ipso, cui irrogabatur, sunt cohibiti. Et, Dimittite eum, inquit, ut maledicat; Dominus enim præcepit ei, ut malediceret Davidi. Et quis est, qui audeat dicere; Quare sic fecit? Ecce filius meus, qui egressus est de uterô meô quærit animam meam; quantò magis hic maledicet mihi: Dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini, si fortè aspiciat Deus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodiernâ. Quid hac patientiâ humilius, quid hâc humilitate patientius? Rex erat, & quidem fortissimorum virorum grandi stipatus agmine, & tamen unius privati hominis tantas coràm acceptas injurias dimisit impunitas, dignus, quem spes sua non sit frustrata.

Sed cavete tamen vos κεραστβόλοι, qui passim gaudetis & audetis humili læsisse veneno summa: quia non omnes προπηλακιζόμενοι, qui manifestas injurias queant devorare. Ephori Spartæ quondam multarunt Sciraphidam, quod à multis effectus esset injuriis; sentiebant enim in eu-

Nec malè Zeno iram exprobrantibus; Si, inquit, animo æquo convitia tulero, ne laudes quidem sentire potero. Memnon igitur, qui Darij exercitum adversus Alexandrum duxit, militem quendam mercenarium, qui multis & impuris convitijs Alexandrum proscindebat, lanceâ percussit; Ego, dicens te alo, non ut Alexandro maledicas, sed ut contra eum pugnes. Sic decuit ô laudatissime Memnon! Sic obstruendū os protervum clamosis, otiosis & odiosis graculis! Si secundum Plautini illius votum & arbitratum res fluerent, homines, qui gestant, quique auscultant crimina, omnes pendérent, gestores linguis, auditores auribus. Dura sunt hæc, Auditores, dura & propemodum dira: sed sunt tamen longè duriora. Tachus Aegyptiorum rex venientem ad se Agesilaum, vt suppetias peteret, huiusmodi scommate tetigit: Parturiit mons, metuit Iuppiter, at ille peperit murē. Erat enim Agesilaus claudus & staturæ pusillæ. At ille respondit; Ego tibi aliquando leo videbor. Non multò pòst cùm Agesilaus abijsset, Tachus è regnô pulsus est. Verum scilicet vetus illud est diasyrticum; Pluvia minutula etiam parit imbrem; & nihil contemne; ἐξ ὀλίγυ γὰρ πολλά. Verum est itidem & alterum illud; quod in theatro coram Maximino recitatum:

Elephas grandis est, & occiditur:
Leo fortis est, & occiditur:
Tygris fortis est, & occiditur:
Cave multos, si singulos non times.

Sed longè durissimum hoc est, quod capite Caniculæ. Ramirus Hispanorum rex mirè probus fuit & in moribus simplex. Ob eam rem cum irrisui aulicis esset, & dicterijs identidem peteretur, ad extremum exarsit, & undecim viros nobiles ad se vocatus in Oscâ urbe gladiô percuti jussit: addito dictô, Nescit Vulpecula, cum quo ludat. Reipsâ scilicet ostendit, periculosum valdè, τὸν λέοντα νύττειν, leonem vellicare. Verum enim æternùm manebit Euripidæum illud:

τῶν

τῶν ἀχαλίνων ςομάτων ἀνόμυ δὲ ἀφροσύνας τέλος δυς-υχίαν. Cautè ergò Pollio cum Augustus in ipsum fescenninos scripsisset; At ego, inquit, taceo. Nec enim tutum est in eum scribere, qui potest proscribere. Non enim ignorabat, ignorabat, ἀκέρδειαν λέλογχέναιθαμινὰ κακογόρως. Ite nunc verborum magistri, fabularum Architecti, nugarum fabri! perfricate frontem, si quam habetis, &, ut ignavi canes Lunam, bonorum famam, cujus ne micam potestis consequi, eminus allatrate. A vestris allatratibus illibatæ existimationis viri se jam pridem vindicarunt, unicô contemtu, Aristotelis similes; cui cum quidam λογόφιλος diceret, Fortè tibi molestus sum? Non herclè inquit: nec enim animam tuas ad λέσχαις & nænias adverti. Maledicta scilicet perinde audiunt ac salutationes amicorum, ut Bion aiebat: Vel si hoc nimium est, eodem habent loco, quo rotæ stridorem, mugitum bovis, latratum canis, &, ut Fabricius, barritū Elephanti; Vel, ut cum Seneca loquar; contumelias & verba probrosa & ignominias, & cætera dehonestamenta ferunt velut clamorem hostium; & longinqua tela & saxa sine vulnere circa galeas crepitantia.

Sed contraveniens hic aliquis gravitate censoriâ & supercilio in terram defixô; Dissolutus est, inquiet & arrogans qui negligit quid de se quisq; sentiat, & pro famâ & existimatione nostrâ haud minus acriter & alacriter quàm pro vitâ dimicandum: cujus mihi hac in parte coarguendus est error, & quàm longè vagetur extra oleas, aperiendum. Etenim si vera sunt convitia, quorum involucris atque integumentis implicantur & insuuntur viri boni, tanquam pro aris focisque sibi pugnandum esse non nesciunt, nec renuunt, ut omninò à se amoliantur & arceant istam nubeculam, donec rarescat paullatim, & tandem instar Virgilianæ Creusæ penitus evanescat volucri simillima somno. Sin verò fictitium quiddam concenturiant & ferruminant, &, ut

Sycophantæ tum quidem cum Diomede Homerico non inscitè dicere poterunt:

οὐκ ἀλέγω, ὡς εἴ με γυνὴ βάλοι, ἢ πάις ἄφρων,
Κωφὸν γὰρ βέλος ἀνδρὸς ἀνάλκιδος οὐτιδανοῖο.

Haud curo magis, ac si fœmina sive quis infans
Me iaculo peteret, siquidem viri inertis Irrita tela volant.

Quoslibet enim ad rumusculos, qui de nobis sinistri sparguntur, excandescere velle, quælibet ad ludibria insanire, quælibet ad convitia furore corripi, quælibet ad μορμολύκεια exanimari, quemlibet ad Empusæ conspectum expallescere, quolibet in pulicis morsu Herculis implorare subsidium, animi est deiecti & humilis, qui ad virtutem nunquam emergere poterit. Vnde idem immaturis istis opprobrijs usu venit, quod Adonidis flosculo, quô de Poeta:

Brevis est tamen usus in illo,
Namq; malè hærentem & nimia levitate caducum
Excutiunt ijdem, qui perflant omnia venti.

Attendant licet & animũ intendant viri boni, quoties crabrones eiusmodi suô molesto strepitu & susurris odiosis circumstrepunt & obclangunt, certo tamen certius est, τὸ ψευδὲς ὄνειδος οὐ περαιτέρω τῆς ἀκοῆς ἀφικνεῖται, ut ait Aeschines; tantum abest, ut iram in auribus habitantem intra Cordis se sinus insinuare permittant. Verè enim nescio quis Comicus:

ἤθους δικαίου φαῦλος οὐ ψαύει λόγος.

Equidem quô longius in altum devehor, Auditores, eò se latior & patentior orationi meæ campus ostendit. Sed & temporis me ratio & vestra singularis humanitas, ut vela colligam & contraham, & ad portum adnavigem, monet.

Quare

Quare qui virtutem diligis & expetis; qui conſcientiæ puritatem adamas, qui invidiam, illam animi feram, quam Socrates dicebat, execraris; qui concordiam, quâ res parvæ ſuis uſæ progreſsionibus mirum in modum creſcunt augéturq́;, exoptas; qui tuam ipſius ſalutem deſideras; qui devitare clades innúeras in votis habes; Age, convitiandi illá effrenē & efferatá temeritatem tuô ex animô amputa; radices eius omnes evelle, fibras elide, ſtirpes excinde, ſemina extingue. Sic namq́; DEVM pacis autorem & fautorem arctiſsimâ tibi colligatione devincies; Sic Reipub. incolumitatem promovebis; Sic cum Socrate, patientiæ illô clariſsimô myſtâ, æternam nominis gloriam tibi comparabis.

DIXI.

Ornatiſsimo Juveni JOANNI WEITZIO amico ſuo Epigramma de Contemtu Calumniæ ſ.

M. Iacobus Roſefeldus.

P. L.

ILla venenatis truculenta calumnia verbis
Summani jaculans tela triſulca manu,
Hactenus horricrepo traduxit quosque ſuſurro;
Nec quis viroſâ tutus ab hoſte fuit.

Turpiter exſulio ſibi conſulit illa, nec atro
Aut punctim aut cæſim ſauciat ore bonos.
Vt das antidotum, noceant ne toxica Linguæ;
LINGVAM, SI QVID AVES TEMNERE, TEMNE MALAM:
Non pluris facimus, quàm morſus pulicis, omnes
Vipereasque minas, vulnificosque ſonos.

II.

Ad Zoilos & Sciolos.

LIvor abi! tua caſtra jacent, tua turba fugata eſt
Fulmine & eloquij flumine: Livor abi.
Livor abi; preme mordacis convitia linguæ;
Injice frena labris durima: Livor abi.
Livor abi; nunquam potis es ſpurcare Bonorum
Famam ſpurcifico gutture: Livor abi.
Livor abi; non tàm tua curant crimina, quàm vel
Trux Elephas muſcæ murmura: Livor abi.
Livor abi; nobis quid obeſſe poteſt ur atrox dens?
Aſpera quid linguæ ſcommata? Livor abi.
Livor abi; qui non ceſſaſti dente maligno
Carpere, nunc ipſus carpere; Livor abi.

Livor abi; vin' hoſce ſonos cultóſque politóſque
  Opprobrij morſu rodere? Livor abi.
Livor abi; nec verba potes, nam verba diſerta:
  Nec methodum; methodus nam bona: Livor abi.
Livor abi, nil prorſus ineſt, quod carpere poſſis:
  Eſt TVLLI, eſt LIPSI fabrica: Livor abi.
Livor abi; tibi ſcripta dica eſt: quid abire recuſas?
  Ocyus Anticyras viſere Livor abi.

φιλοφιλίας ἕνεκα f.

Iohannes Hartmannus Rotemburgo,
Tuberanus Francus.

III.

SI quis te Momus pulchrè dixiſſe negabit,
  Ponderet is ſcripti Verbáque Resque tui.
VERBA Venuſtatis ſat habent, In REBVS abundè
  Tùm vis nervorum tùm gravitatis ineſt.
Id res ipſa ſatis loquitur; teſtatur idipſum,
  Qui te audiverunt, docta coronâ virûm.
Comprime nunc ſtolidã vocem, qui carpere geſtis,

Tu, qui laudis iter calcas, ô optime VVEITZI,
Perge, nec ullius dicta sinistra time.
Perge, & jucundos SOPHIÆ scrutare recessus,
Celsaque virtutis scandere perge juga.
Sic amplos olim fructus, haustique laboris
Præmia, si perstas, indubitata feres.

ὀλοφιλοφιλίας χάριν f.

Iohannes VVenigerkind Balstadensis
Tyrigeta.

F I N I S.